

Die 31 Augusti

Ss. Ioseph ab Arimathæa et Nicodemi

Ant. ad introitum

cf Io 19, 39-40

Ioseph ab Arimathæa et Nicodémus accepérunt corpus Iesu et ligavérunt illud línteis cum aromátibus, sicut mos Iudæis est sepelíre.

Collecta

Deus, qui beátos Ioseph ab Arimatæa et Nicodémum elígere dignátus es,
ut dilécti Fílii tui Corpus de Cruce depósitum,
in monumento novo pie sepelírent,
concéde, quæsumus,
ut eidem Fílio tuo in morte configuráti et consepúlti,
cum ipso sine fine vivámus.
Qui tecum vivit.

LECTIO PRIOR (propr.)

«Deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.»

Lectio Actuum Apostolorum

13, 16. 26 - 31

Cum venisset Páulus Antiochíam Pisídiæ, surgens in synagóga et manu siléntium indicens ait:

«Viri fratres, filii géneris Abraham et qui in vobis timent Deum, nobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitábant Ierúsalem et príncipes eórum hunc ignorántes et voces Prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, iudi-

cántes implevérunt, et nullam causam mortis inveniéntes petierunt a Piláto ut interficerétur; cumque consummássent ómnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt in monumento.

Deus vero suscitávit eum a mórtuis; qui visus est per dies multos his qui simul ascénderant cum eo de Galilæa in Ierúsalem, qui nunc sunt testes eius ad plebem».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 15, 1 - 2a et 5. 7 - 8. - 11 (10 b)

R̄. Non dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

1 Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu».

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. **R̄.**

2 Benedícam Dóminum qui tribuit mihi intelléctum;

ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.

Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper,
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. **R̄.**

3 Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno,

nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. **R̄.**

ALLELUIA

R̄. Allelúia. **Ÿ.** Surréxit Christus de sepúlcro et illúxit nobis.

R̄. Allelúia.

EVANGELIUM (pr.)

«Acceperunt corpus Iesu et ligaverunt illud linteis cum aromatibus.»

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 38-42

Post mortem Christi, rogávit Pilátum Ioseph ab Arimathaeá qui erat discipulus Iesu, occúltus autem propter metum Iudæórum, ut tólleret corpus Iesu et permísit Pilátus. Venit ergo et tulit corpus eius.

Venit autem et Nicodémus, qui vénerat ad eum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ et áloes quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus Iesu et ligavérunt illud linteis cum aromátibus, sicut mos Iudæis est sepelíre. Erat autem, in loco ubi crucifixus est, hortus et in horto monuméntum novum in quo nondum quisquam pósitus erat: ibi ergo propter Parascevem Iudæórum, quia iuxta erat monuméntum, posuérunt Iesum.

Verbum Dómini.

vel (propr.)

«Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister.»

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioannem 3, 1-16

Erat homo ex Phariséis, Nicodémus nómine, princeps Iudæórum; hic venit ad eum nocte et dixit ei: «Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo». Respóndit Iesus et dixit ei: «Amen, amen dico tibi: Nisi quis natus fúerit dénuo, non potest vidére Regnum Dei». Dicit ad eum Nicodémus: «Quómodo potest homo nasci cum senex sit? Numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre et nasci? »Respóndit Iesus: «Amen, amen dico tibi: Nisi quis

natus fúerit ex aqua et Spiritu, non potest introíre in Regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, et quod natus est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: Opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spírat, et vocem eius audis, sed non scis unde véniat et quo vadat; sic est omnis qui natus est ex Spíritu».

Respóndit Nicodémus et dixit ei: «Quómodo possunt hæc fieri?» Respóndit Iesus et dixit ei: «Tu es magíster Israel et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi: Quod scimus lóquimur et quod vídimus testámur et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis et non créditis quómodo si díxero vobis cæléstia credétis? Et nemo ascéndit in cælum nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis, ut omnis qui credit in ipso hábeat vitam ætérnam».

Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigénitum daret, ut omnis qui credit in eum non péreat sed hábeat vitam ætérnam.

Verbum Dómini.

Super oblata

Præsénti oblátione, Dómine,
in beátorum Iosephi et Nicodémi commemoratióne delata,
fidélibus tuis, quæsumus:
pacis et unitátis dona largíre.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Io 3, 16

Sic diléxit Deus mundum, ut Fílium suum Unigenitum daret,

ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam
ætérrnam.

Post communionem

Deus qui a sanctis Ioseph et Nicodémo
in monumento novo depóni
et tértia die gloriósus resúrgere voluísti,
fac nos divíno mystério córporis et sánguinis tui suscépto,
ad resurrectiónis tuæ glóriam perducámur.
Qui vivis.

